

PROBLEMATTA POETICA

SUB PRÆSIDIO

NOBILISSIMI DOMINI

JO. FRIDERICI SCHARFII,

PH. J. U. D. & P. F. ADJ. h. t. DECANI
SPECTABILIS,

PROMOTORIS AC EVERGETÆ SUI A MULTIS
ANNIS VENERANDI,

PRID. KAL. IIXBR. H. L. Q. C.

P. P.

JO. SCHREINERUS, PH. CAND.

SCHOLÆ POTSTAMIENSIS RECTOR.

EXCUDEBAT JOHANNES HAKE,
A. R. G. ∞ Ibc LXXIV.

58.

4.

Aesthet.

102,32.

ROBERTUS

DE

LORENZUS

PROVINCIA

ROBERTUS

DE

LORENZUS

PROVINCIA

ROBERTUS

DE

LORENZUS

12



IN NOMINE EJUS

A QVO, IN QVO & PER QVEM SUNT OMNIA

Zeus δὲ χη, Zeus μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλοντα.

Juppiter incipium, medium Jovis, omnia ab ipso.

quod Hier. Megisserus sic extulit :

A Jove principium, & medium, & finis quoq; pendet.

Ovvenus sic Ἐξαφράζει 1. 3. Epigr.

Principium DEUS ipsum, in principio DEUS ipso,

Et post principium principioq; prius.

Principium sine principio est, à principio isto,

Principium capiant omnia principia.

I.

Quomodo Justitia Jovis filia esse & impios
accusare Poëtis dicatur ?

POëtæ ἀκύρωσ & μεγαλοπρεπῶσ loqvuntur, præq; summo amore, quo erga Virtutes flagrant, ex virtutibus Deas faciunt. Quod commodè acceptum & explicatum impietatem aut absurditatem importat nullam. Ecce enim: omnis metaphora præsupponit similitudinem. Est enim illa contracta similitudo. E. Non infert ταυτότητα aut identitatem: ὁμοιότησ enim non est ταυτότησ, ut loqvuntur Philosophi. Ergò dum μεταφορικῶσ ex virtute Deam faciunt, seu dum de Virtutibus tanquam Deabus loqvuntur, non ipsas Deas revera esse, sed si quæ essent, ad illam dignitatem, si quid unquam, certè Virtutes quàm proximè aspiraturas, vel potius μετωνυμικῶσ homines evecturas & relevaturas, volunt. Sicut Virgilius dum suum AUGUSTUM Deum nominat, ex illo verè Numen non facit, sed divinum esse & laudatissimum Imperatorem pronunciat: Sic & Virtutes divinas esse & laude dignissimas ipsi etiam Poëtæ voluerunt. Sed de illo aliàs. Hoc jam agamus. Fingitur Justitia, eodem modo esse Dea, fingitur esse Jovis filia. Id quod explicat Hesiodus in Theog. v. 897. & 1. epγ. v.

257. *Hom. in Hymn. Apoll. f. 347.* & malos observare & coram Jove accusare,

ὄφρ' ἵπποσίη
Δῆμ' αἰτᾶσαί τ' ἀλίας βασιλήων, ὄϊλυγρὰ νοεῦντες,
Ἀλλήπαρκλίνεσι, δίκας σκολιῶς ἐπέποιτες.

Hesiod. d. l. i. v. 258. & seqq. Quæritur quo sensu? Optimo perfecto. Ecce enim Justitia est Jovis filia & Jupiter est Justitiæ pater: Tum justici cognitionem hominibus inferendo, tum eandem in tanta rerum confusione conservando. Inferendo: Certum namq; est & indubitatum Deum hominum mentibus certas indidisse notitias & principia, quæ ab Ethicis practica, à Jctis Jus naturale, vocantur. Rectè principia practica. Quia ex hisce præcepta tanquã ex fonte deducuntur. Ethica, quæ ad *πραξι* unicè tendunt & contendunt. Exd. Rectè jus naturale. Hoc n. ipsa natura nullo Doctore aut ductore (nisi Deo quem in omnibus Naturalibus hisce præsupponimus) suppeditat omnibus etiam Gentibus. Unde & Jus Gentium (primævum tamen quod ab illo secundario, Ratiocinationis Jus vocat Wesenbecius, omninò tanquam primum ab orto est distinguendum) nonnullis dicitur. Gentes enim ipsæ circumferunt νόμον γραπτόν ἐν ταῖς καρδίαις, ut loquitur D. Paulus *Roman. 2. v. 15.* At ad illa principia practica & Jus Naturæ etiam justici & injustici cognitio pertinet, & inter hæc duo discrimen. Nam justum & honestum non hominum tantum opinione, sed & jam natura constare ponimus, suo id probaturi loco fusius. Conservando: Deus enim ut justus est, vel potius ipsa justitia: In Deo enim quicquid est, ipsemet est, *Scal. l. 3. Poët. c. 112. f. 411.* Sicut potentia Dei, inquit Philippus Melanchthon *in Loc. de Deo, p. 8.* non discernenda est ab essentia, nec aliud est: Sic non sunt aliæ res sapientia, veritas, justitia, bonitas Dei, sed sunt ipsa essentia. Sic & non vult nisi justa, non probat, nec approbat nisi justa. Econtra injusta opprimit & supprimit. Id quod eleganti etiam docent Poëtæ figmento, dum Jovem Gigantes, qui omnes fermè comportabant montes & imponebant Pelio Ossam, ut loquitur Virgilius, jamjam Jovem ipsum, cum omnibus superis cœlo deturbaturi, fulmine prostravisse, & ad ima tartara dejecisse fingunt. *V. Hesiod. 1. ep. v. 151. seqq. & in Theog. v. 638. & seqq. Virg. 1. Georg. Ovid. 1. Metam.* Fingitur accusare apud Jovem injustos Justitia. Virtus enim est Justitia, cui nihil magis quam

quam

quàm injustitia contrarium. E. Tacitè etiam de hoc suo adversissi-
mo hoste conqueritur. Apud quem rectius, quàm apud Deum? Il-
le enim ut justitiæ autor est: sic & ejusdem fautor est: Econtra
injustitiæ osor est & vindex certissimus. Et hoc est quod iterum ad
justitiam tanquam ad Deam transfert Hesiodus *d. l. 1. εργ. v. 229.*

ἢθ' ἔπιται κλάυσα, πόλιν τε, καὶ ἦθεα λαῶν
ἠέρα ἕστα μύνη, κακὸν ἀνθρώποισι φέρωσα.

Nempe si negligatur, neque digno in honore habeatur. Nam &
hîc injustum nunquam deseruit pede pœna claudo.

II. Cur Poëtae Studiosorum ac Poëtarum Præsides fecerint Bacchum?

Bacchus Deus vini aliàs à Poëtis fingitur, unde & *per metony-
miam* pro vino sæpissimè usurpatur. Sit instar multorum unico
Virgilius: *Implentur veteris Bacchi, pingvisq; farina;* vel ferina, ut
putant alii. Bacchus βάκχος est ἀπὸ τοῦ βακχεῖν ab incondito cla-
more, quo ejus olim Bacchæ, & hodiè etiamnum milites ebrii fu-
rere solent, tantū non æthera dirumpere. At idem Bacchus etiam
Studioforum & Poëtarum Præsides esse fingitur. Mirum. Quid cum
clamore & ejusmodi crudis Bacchantium & debachantium tu-
multibus & insultibus Studiosis & Poëtis tandem est commercii?
Subsiste. Non malum est Poëtarum hîc de Poëtarum & Studiofo-
rum Præsides figmentum, si res non iniquis aspiciatur oculis. Di-
cam paucis. Bacchus est Deus vini, οἶνος, secundum quosdam est
ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, ab effectu & commodo, quod si μετερίως biba-
tur, sanitatem non parum juvet. Nam quod aliàs dicitur:

*Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra,
Conservant eadem balnea, vina, Venus.*

Sed medium observandum est. Nam secundum auream Hippocra-
tis regulam, σιτία, πόσις, ἵπνοι καὶ ἀφροδίσια πάντα μέτετα. At
quis Studiosis & Poëtis curam sanitatis habendam esse diffitebitur.
Ergò & illis vinum non planè abjiciendum est aut renuendum.
Quin & Baccho hedera fuit dicata. Unde & ejus aris hedera im-
poni consueverunt, ut refert Scaliger *lib. 1. Poët. c. 2. p. 86.* At &
hedera Poëtæ coronari solebant. Attingam hoc penitus: Vi-
num cujus præses est Bacchus, lætificat cor hominis. Unde & Græ-
cis aliàs dicitur διώνυσος ἀπὸ τοῦ δαίνεσθαι ἡμᾶς ἠδέως. Ab effectu

quod nos jucundè & suaviter irriget & afficiat, nostrasq; cogitationes quodammodo elevet, ut in inveniendis sint tanto alacriores & paratiores.

III.

Musis cur non à Poetis arma attribuuntur?

Musæ nusquam ab ullo vel pictore vel fictore armatæ exhibitæ sunt, inquit Ælianus *lib. 12. de var. histor.* Quæro causam? illa occurret facilè, si Musarum conditionem & ingenium excusserimus. Musæ sunt eruditionis, sapientiæ & omnis bonæ disciplinæ præfides. At quid hisce cum armis? Inter arma silent potius leges, quàm vigent. Musæ sunt Deæ placidæ & tranquillæ, quæ ob id sylvas inhabitare dicuntur, ut tanto melius semotæ nempè à forensi strepitu & curis aliis, suis studiis omniumq; rerum contemplationi profundiori incumbere, seq; totas transmittere possent. At arma bella decent, non quietem aut tranquilla ista velut commercia aut colloquia, quæ nullum admittunt divortium, sed Genios habent etiam in diversis sententiis eosdem, qui amicorum inter se amicè conspirant, communiterque transferuntur ad eadem consilia, operas, fortunas communicandas, ut loquitur Scaliger *in 1. Arist. de Plant. f. 16.* In hisce ergò concors est discordia salvâ & illæsâ veritate, ad quam sæpè etiam diversis itineribus pertingitur & pervenitur, incolumi etiam amicitia. Nam

Diversum sentire duos de rebus iisdem

Incolumi licuit semper amicitia.

Nulla ergò hic sive Musarum, sive doctorum hominum arma. Illa verò à quibus illi abstinere debent, sunt tum corporea, tum incorporea. Corporea sunt illa, quæ aliàs milites decent bombardæ, gladii, enses &c. Hæc ne tractet mihi Studiosus. Nam Musæ non debent esse armatæ, aut ad pugnas, ad prælia, ad tumultus proclives, sed placidæ, sedatæ & pacatæ. Incorporea sunt imprimis Linguae & Pennæ directarum ab ipsa internâ mente. Et hæc seponat, quicumque est Virorum politicorum. Conferre inter se doctasque audire & reddere voces hominum est doctorum: non calumniari, non maledicere, non bonorum famam & existimationem lædere. Optimè iterum Scaliger, *Exerc. 148. sect. 4.* Castiga-

stiga-

gare quidem licet, atque etiam expedit, imò verò necessarium est. Maledicere neq; licet & obest maledicenti potius, quàm illi, cui objicitur maledictum, affertq; tandem ingenuis pœnitentiam, il- liberalibus vituperationem. Heus tu. Non tanquam arenarii vel precio adducti, vel supplicio coacti descendimus ad certamen lite- rarium, sed animi gratia, cujus pabulum veritas est. Ut ejus in- quirendæ atque assequendæ autorem, quem à majoribus nostris accepimus, libertatis spiritum retineamus.

IV.

An rectè Jupiter Æsculapium ob Hippolytum vitæ restitutum ad Tartara detruserit?

Hippolytum propter parentis diras execrationes misera oppe- tiisse morte, sed tandem ope & opera Æsculapii Medici vitæ recepisse fabulantur Poetæ. Et ne dubites ipse, apud Ovidium l. 15. Metamorph. p. 507. hoc de seipso refert:

—— — *Vidi quoque luce carentia regna
Et lacerum fovi Phlegetontide corpus in unda,
Nec nisi Apollineæ valido medicamine prolis
Reddita vita foret, quam postquam fortibus herbis
Atq; ope Pœonia, Dite indignante, recepi.*

Audis beneficium Medici. Sed quæ gratia? Æsculapium ob præsti- tum auxilium fulmine ad Tartara detrudit Juppiter. Ad quod al- ludit illud Baldasseris Castilionii Epigrammation:

*Quod lacerum corpus medica sanaverat arte
Hippolytum stygiis & revocârit equis:
Ad stygias ipse est raptus Epidaurius undas.
Sic precium vitæ mors fuit artificî.*

Quid censes? Num rectè Juppiter ob datam vitam vita privat Æscu- lapium? Non fanè rectè privasse videtur Baiulio apud Scaligerum, in 2. Arist. de plant. fol. 89. Sic enim ille: quid igitur? inquit. Num illi quidem videntur artifices absolutissimi fuisse, quorum operâ etiam fato functis, vita restitueretur. Qua in scena parum sapientem Jo- vem illum fuisse arbitror, qui quam artem ultrò dedisset hominibus, eam ab homine sine metu offensionis exercitam indignaretur. Hæc ille. Improbat factû Jovis. Num rectè? Subdubito. Ratio allata infirma:

Nam

Nam Juppiter Medicinam dedit hominibus, sed ut vivis inserviret, non mortuis. Ergò sic sentio, commentum hoc Poeticum illic collineare, ut doceat, homines debere sese intra suam continere cuticulam, nec illa vel tentare, vel etiam cogitare, quæ solius Dei propria: A mortuis resuscitare solius Dei opus. Ergò iniquè ab homine, siquidem potuisset, quod *ἰατρὴν* pono, tamen expeditum fuisset. Ergò non tam propter beneficium, sed propter *πολυπραγμοσύνην* & arreptam ad se nihil pertinentem provinciam, justissimè à Jove punitus Æsculapius. Quin accersam aliud. Medicina, inquit Scaliger *l. 1. Poetic. c. 1. p. 4.* curabiles morbos semper curat: Medicus non semper, quia multis eum impedimentis præveniri contingat. Quare non tunc agit, quæ Medicus est. Non enim incurabilem aggrediatur ægitudinem, ne sit negligens, ne amens, ne avarus, ne præceps. Hæc Scaliger. At ego illa: Pono potuisse Æsculapium à mortuis excitare Hippolytum. At non debebat tamen. Quia Medicus erat. Medicus curat morbos, non dat vitam, sed vitam præsentem quasi continuat, & quantum potest, protrahit seu perpetuat. Ergò justissimè pro data vita contra vocationem & fata mortem accepit. Accedit quod Hippolytus ob parentis sui imprecationes & execrationes fuit neci datus. En tam graves illæ, ut ne quidem Jupiter hic Æsculapium admittere possit, aut velit, qui contra illas vel tantillum moliatur aut meditetur, sed & ipsos tanquam liberorum patronos unâ eadem clade & peste afficere sit paratus. Sancta enim esse liberorum erga parentes reverentia debet, nec carere pœnis illorum contemptus.

V.

*Medicina cur Apollinis dicatur
inventum?*

Medicinam Apollinis inventum esse uno ore profitentur Poetæ, Testis sit ipse Apollo, qui sic loquens introducit ab Ovidio, *l. 1. Metam. p. 25.*

*Inventum Medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum est subjecta potentia nobis.*

Nihil hic subest causæ specialis dices. Est enim omnium artium inventor ex mente Poetarum, ut qui Musarum Præses esse dicitur.

Quid.

Quidni ergò & Medicinæ? quæ materialium artium illustrissimè esse perhibetur à Scaligero, *l. 3. Poët. c. 1. p. 206.* cujus pedissequa sunt omnes, quæ ad vitam victumq; paratæ sunt: Etiam fabrica genera omnia. Nam quod aramus, quod ædificamus, ea omnia ad vitæ finem diriguntur; cujus Magister est Medicus. At, inquam ego, subest maximè. Apollo, Phœbus, Titan non rarò Solem designant. Jam tu conjice cætera. Causa causæ etiam est causa causati, inquiunt Philosophi. Sol est causa herbarum. Nam illæ terræ ex gremio aliàs vix educuntur, nisi calor solis vivificus accedat & operetur. Vide-sis Scaligerum *in 1. Theophr. de plant. f. 17.* ita ut quod aliàs Philosophi est: Sol & homo generant hominem, *Scal. Exerc. 6. sect. 5. & 25* sic mutatis pauculis & hic usurpare possis Sol & terra generant herbam. Jam verò herbarum vi & efficacia vel maximè Medicina peragitur. Unde herbarum inquisitio vel Medico propria est, vel certè à Philosopho expetenda & expectanda. *Agit enim Philosophus, quod Scaliger inquit, de potestatibus plantarum, ut eam partem tradat Medico. Medicus enim nescit, quid sit temperamentum, nisi edoctus à Philosopho.* Hæc Scaliger *in 6. Theophr. de plant. c. 4. f. 394. E.* cùm Apollo seu Phœbus herbarum sit causa, ac sic inventor vel adjutor: Rectè etiam Medicinæ inde conficiendæ causa inventor & promotor dicetur. Et hoc vult Stigelius, *ad d. l. 1. Metam. Ovid. ibi; Apollo, inquit, fingitur inventor Medicinæ propter vim Solis, qua herbae vegetantur, quarum in Medicina usus est maximus ad salubritatem corporum humanorum.* Ex qua elegantissimam etiam deduces rationem. Cur idem & Musices inventor æquè ac Medicinæ dicatur? De hujus vi ad animos impellendos jam nihil. *Vid. Scal. Exerc. 302. sect. 2.* Hoc jam digito innuo: Ex Medicina sanitas & animi tranquillitas. Hæc Musica nihil habet prius, ut illud subinde ingeminet: Musica noster amor. Sed sapienti fat dictum.

VI.

*Andromeda an tantum fabulosa narratione saxo
alligata & à Perseo liberata dicatur?*

Andromedam propter superbiam matris, quæ se Nympharum pulcritudini prætulerat saxo alligatam esse scribit Ovidius

B

lib.

lib. 4. Metamorph. p. 136. Perseus enim, quam
immeritam maternæ pendere lingvæ
Andromeden pœnas injustus jusserat Hammon,
Hanc fœmuli ad duras religatam brachia cautes
Vidit.

Eamq; à monstro, cui tradita, liberatam, iterum scribit Ovidius
d. l. p. 139.

*gaudent generumq; salutant,
Auxiliumq; domus Servatoremq; fatentur.
Cassiope, Cephœusque pater, resoluta catenis
Incedit Virgo, preciumq; & causa laboris.*

Num hæc fabulosa omnia? Non dixerim sanè: nam etsi non nego,
Poetas multa suis admiscere, nec tam nudè, uti quidem acceperunt,
res enumerare & proponere. Sola enim Poësis, quod inquit Scaliger
lib. 1. Poet. c. 1. p. 6. hæc omnia complexa est, tantò quàm artes illæ
excellentiùs, quod cæteræ res ipsas uti sunt repræsentant, veluti aurium
pictura quadam. At Poeta & naturam alteram & fortunas plures etiam,
ac demum sese isthoc ipse perinde ac Deum alterum efficit. Vide
ibid. hoc de negotio plura. At interim omnia continuo, quæ Poetæ referunt,
falsa esse & fabulosa affirmare non audeo, nec etiam debeo. In proposito
jam habemus exemplum. Idem enim de Andromeda refert etiam C. Julius
Solinus Historicus aliàs fide dignissimus *in Polyphystore c. 37. p. 124.* *Id
oppidum, nempe Toppe, saxum ostentat, inquit, quod vinculorum
Andromede vestigia adhuc retinet, quàm expositam beluæ non irritus
rumor circumtulit. Quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia
miracula in edilitate sua Romæ publicavit. Annalibus nota res est.
Mensura quoq; Veracibus libris continetur, scilicet quod constarum
longitudo excesserit pedes quadraginta, excelsitas elephantis fuerit
Indicis eminentior. Porro verticuli spine ipsius latitudine semipedem
sunt supergressi.* Hæc Solinus. Quæ faciunt, ut de Andromeda saxo
alligata, & post etiam liberata, quæ narrantur, omnia promiscuè
fabulosa esse mihi persuadere non possim.

VII.

*An rectè & quomodo Poetæ Bacchum faciant
cornutum?*

Varia

Varia hinc attendenda. Distinguo ergo. Accipitur ista propositio: *Bacchus est cornutus*, vel propriè vel tropicè. Si propriè, malè, si quidem ita (quod vix credibile) Poëtæ senserunt. Tum: quia sic pro Deo Bacchus accipietur. At quis alios præter unum illum verum Deum sine impietate finget aut pinget Deos? Tum quia horrenda Baccho ascribunt & attribuunt, quæ si $\chi\tau\epsilon\ \tau\epsilon\ \epsilon\pi\tau\omicron\upsilon\upsilon$ essent accipienda, tantum abest, ut Deo illa possint competere. Si tropicè $\mu\epsilon\tau\omega\nu\mu\iota\chi\alpha\delta\epsilon\varsigma$ pro vino intelligetur. Hic verò habet sua cornua tum vinum, tum bibens. Vinum quidem: subtiliores enim habet spiritus, quibus q. cornibus cerebrum impetit & impugnat, ut quis acclamare possit:

——— *Sic, quia vis, cornu ferit illud, habeto.*

Qui ipsi, si nimium augeantur, cerebrum eò usq; perturbant, ut ne mens quidem, quæ agit plerumq; per phantasmata, suo satisfacere possit officio. Unde & ebriis omnia moveri videntur, & nescio quos in gyros circumagi. Bibens vel modicè vel immodicè. Modicè $\mu\epsilon\lambda\epsilon\iota\omega\varsigma\ \eta\gamma\eta\ \epsilon\pi\iota\tau\alpha\mu\upsilon\omega\varsigma$, ut loquitur Plutarchus *lib. de educ. pueror.* Hinc vinum mœrores tollit & secundum Horatium, 3. *Carm. Od. 21.*

Spem reducit mentibus anxiiis

——— *Vires & addit cornua pauperi.*

Unde & apud Homerum *Iliad. 14. fol. 269.* Bacchus Jovi $\chi\alpha\pi\mu\alpha\beta\epsilon\gamma\tau\omicron\iota\sigma\iota$; & Lætitia dator appellatur apud Virgilium 1. *Æn. Adde Joh. Spondanum in Hom. d. l. fol. 270.* Immodicè: hinc demum ebriis vera illa & fera cornua profiliunt, quibus ille homines, hic lapides etiam & fenestras petit, nec famæ etiam bonorum parcat. Hoc est, quod olim tres tantum crateras sapientibus attribuebant, quartum & cæteros dementibus relinquebant. Vide sis *Atbenæum lib. 2. Lonicæ in Pindari Isthmia, pag. 439.* Sic nempe Bacchus ex Horatio 1. *Epist. 5.*

——— *In prælia trudit inermem.*

Sed & suggerit nobis iterum illud Horatius, 1. *Carm. Od. 25.*

Natis in usum lætitiæ scyphis

Pugnare Ibracum est.

*Cur à Poetis Jupiter Musarum pater, Mnemosyne
verò mater esse dicantur?*

Jovem Musarum patrem, Mnemosynen verò matrem à Poetis dici in confesso est. Unde ille Solonis versiculus circumfertur de Musis, ubi dicuntur: *Μνημοσύνης ἢ Ζηνὸς Ὀλυμπίας ἀγλαὰ τέκνα.* Et *Hesiod. in Theogon. v. 25, Μῆσαι Ὀλυμπιάδες, κῆρυγι διὸς ἀγιόχοιο.* Adde eundem *ibid. v. 52. & seqq.* ubi tanquam in ordinaria sede hæc explicantur. Causa & ratio acuta est & notatu dignissima. De qua in præsentiarū paucis. Jupiter Musarum pater est tum producendo, tum fovendo artes & doctos quosvis. Hæc enim duo Poetas per Musas intelligere (per metonymiam nempe) certum est. Producendo: Deus enim gratisimam in artibus de se sparsit famam, ut loquitur Plato. Dicam Logicè Deus est causa efficiens omnium artium. Est enim causa omnis boni. At bona est ars omnis, utpote quæ nunquam non bonum habet finem, neque per naturam de rebus inutilibus esse potest. *Scaliger Exerc. 326. Add. Lamb. Danæus lib. 2. Erb. Christian. c. 9. p. 144.* Fovendo: conservat enim Deus studia artium, sine quibus nec in Ecclesia puritas verbi custodiri, nec bonæ leges & mores in Republica asservari, & ad posteros propagari possent. Mnemosyne verò mater est, tum artes inveniando, nam absque memoria, quæ *μνημοσύνη* est & *μνήμη* nihil laude dignum in hisce vel observari potuit vel certò constitui. Unde Scaliger: *Matrem Mnemosynem autumant eadem ratione, qua vetustiores illi unam è tribus μνήμην,* (quod paulò antè explicarat) *Est autem è Philosophia sumptum. Siquidem ex actibus frequentioribus habitus fit, ex habitu memoria, ex memoriis propositiones, è propositionibus conclusiones.* Itaq; artes per manus tradi, dictæ sunt: Hactenus Scaliger *l. 1. Poet. c. 2. pag. 8.* Quo & sensu artium genitricem esse Experientiam non inscitè disputat Ramus *l. 9. Schol. Dialect. c. 13. fol. 415.* Tum inventas confirmando: si enim memoria desit quid tandem in studiis proficere quis possit & perficere vix video. Memoria namque acceptas semel recondit, quo sine in ventos abiturae erant illæ & fumos. Requiritur,

tur,

tur, nempe ad prudentiam, memoria, inquit Piccolomineus, *gr. s. Philos. Moral. c. 35.* ut distinctè visa serventur, & per phantasiam quærenti media, & ratio cinanti ad libitum offerantur. Unde & ad memoriam confortandã tam varia præscribunt Medici remedia.

IX.


Homerus, Poeta Poetarum, an fuerit cæcus?

Magno in precio fuisse apud Veteres Homerum & omnibus Poetis antepositum, licet ipsi nonnihil iniquior videatur esse Scaliger, confer illa quæ habet *l. 1. Poet. c. 5. lib. 3. c. 2. & 27.* testis est Historia & gratisima antiquitas. Poemata ejus publicis in conventibus tanquam præcepta vitæ & morum recitabantur, imò aureis literis describebantur & in templis affigebantur, utpotè quæ ipsi ab Apolline dictata credebantur. *Conf. Licurg. in Orat. contra Leocratem. Xenoph. in sympos. Athen. l. 14. Dion. Orat. 27. Zonar. 3. histor. Arist. 1. Eudem.* Unde & hæc præ præstantissimo thesauro amabat Alexander M. usque adeò, ut cum scriniolum, quo nulla inter opes Darii sumptuosior & ornatior fuisse res videbatur, ad eum deferretur, sciscitatus amicos quidnam in eo preciosum dignè collocandum existimaret multis ejus usus aliis demonstrantibus, Hic optimè inquebat Iliadis Homeri custodiæ dabitur, *Plutarchus in Alexandro M. f. 259. adde Dionem orat. 2.* De hoc vulgò mirum narratur, ipsum nempe cœcum fuisse, unde se Poetam sub persona Demodoci *lib. 8. Odiss. ibi:*

Τὸν ὡς μῦθ' ἐφίλησε, δίδυ δ' ἀγαθὸν ἴε κακόν τε
Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε &c.

describere & intelligere ibid. annotat Giphanius, sicut & ob cœcitatem ipsum Ὅμηρον per metathesin quasi μήορον, ἄπὸ τῶ μὴ ὄρᾶν vocatum esse, scribit Herodotus, licet Plutarchus ex *3. de Poetica Arist.* aliam istius nominis appellationem adducat, nempe cum Lydi ab Æolibus affligerentur ac de Smyringa cogitarent relinquenda, & ducem per præconem sequi jussissent eos, qui vellent unà abire, tum Homerum, admodum puerulum, se quoque Ὅμηρον velle dixisse. Inde ortum nomen. Sanè & cœcos non rarò egregia præstitisse & ingenio alios superasse non nego, persuasus e-

xemplis, quæ notissima. Homerum autem à prima infantia cœcum fuisse, ut credam, vix adduci possum, movent me infinita Epitheta, Descriptiones & multa alia quæ in Homero inveniuntur, & sine manifesto sensu imprimis visu prævio explicari, illustrari, aut etiam tam artificiosè non potuerunt, ut in colloquio hoc nostro fusius ostendemus. Sit ergò, si placet, sanè factus cœcus, quod natus nunquam dixerim. Mecum hîc ambulant vel potius ducunt me non pauci alii Dd. fabulam hanc vocat Neander in *Tryphiodorum Epist. Nuncupat. pag. 4.* ita ut cœcum finxerit antiquitas, utpote τυφλὸς ἔ τυφλὰ ἀλλὰ παρὰ ὁρῶντα ἔλεξε. *Soph. in Oedipo.* Quid v. causæ cur Homerum cœcum finxerit antiquitas? Fortè hoc: Objecta movent sensus. Unde fit ut cum cœci aliis impedimentis suis à speculationibus non avocentur, tanto etiam intimius in rerum penetralia irrumpant, & veritatem aliàs abditam indagent. Qui mos etiam aliàs sapientum est. Nam hi à sensibus ad intellectus abducti intima penetralia multa delata sub oculos non vident, quod inquit Scaliger *Exerc. 307. sect. j.* Quo ex Scaligeri textu cœcitatem duplicem elicio. Una erit Physica, & hanc denegare possemus Homero: Altera Ethica; quando nempe Sapientes intenti suis iunt speculationibus & sic delata sub oculos non vident. Et hanc Homero cur tribuere non possimus, nihil videtur obstare. Sed manum de tabulâ.




COROLLARIA.

I. Poetæ Historicis & Oratoribus antiquiores sunt. Incipit eorū ætas à Sybillis, quas A. M. 1990. ex parte vaticinasse compertū est. His ex Sacra Historiâ addimus *Mosen & Mariam sororē*, qui primū Carmen condidisse leguntur *Exod. 15.* suffragante Cornelio à Lapide aliisq; Commentatoribus: *Debora* condiderat epinicion suum A. M. 2620. ut videre est *Jud. 5.* Quis *Davidē & Assaphum*, quorū poesis A. M. 2890. floruit; quis *Salomonē* Vatem fuisse inficiabitur? *Jeremias* A. M. 3320. threnos conscripserat; nec aliter de *Juditha, Tobie,* aliorumq; librorum autoribus judicandum est, quàm quod Poetæ fuerint.

r Entleihung bitte

N: 32 125

ESBIBLIOTHEK



0238

bitte h

fuerint. Sic post Christum natum Poetarum fit mentio *Act. 17. v. 28.*
in quorum numerum *Aratum* refert B. Lutherus in *gloss. margin.*
Præter hos sacræ studuerunt Poesi perquam multi. Ex Patribus :
Cyprianus, Lactantius, Hilarius, Ambrosius, Gregor. Nazianzenus, Prudentius. Ex aliis celebrioribus Viris : *Boëtius Severinus, Venantius Fortunatus, Rabanus, Petrarcha, Mantuanus, Buchananus, &c.* Rabbinorum ille : *Elias Levita & alii.* Nec profanæ Poëseos Magistri antiquitate suâ destituuntur, quos in Thesauro suo Chronologico, l. 51. notat Alstedius : *Linus, Orpheus, Homerus, Hesiodus, Alcæus, Glycon, Sappho, Epimenides, Theognis, Pythagoras, Phocylides, Anacreon, Pindarus, Æschylus, Euripides, Sophocles, Aristophanes, Menander, Theocritus, Callimachus, &c.* Latinæ Poëseos quasi infantiam absolvunt *M. Livius & Plautus, Ennius, Terentius, Lucretius, Archias &c.* Sub virili ætate quæ in A.M. 3900. incidit, *Catullus* florebat, *Virgilius & Horatius, Manilius & C. Gallus, Propertius, Tibullus, Ovidius.* Circa Christi nativitatem : *Persius, Seneca Tragicus, Lucanus, Silius Italicus, Martialis, Juvenalis.* Seqvuntur postmodum *Calphurnius Siculus, Claudianus, Ausonius, Q. Emilianus, Conrad. Celtes, Angelus Politianus, Sanazarus, Flaminius, Palingenius, Jul. Cesar Scaliger, Lotichii, Sabinus, Stigelius, Nathan Chytraeus, Paulus Melissus, & alii perquam plurimi.* Quos omnes antiquitas narrat & magnam partem veneratur nostra ætas. Ut verò posteritati dederunt, quod mirentur, sic recipere jam possent, quod imitentur. Non degeneres sunt nati, quos Germania, Anglia & Batavia genuit, si vel *Taubmannum, vel Orvenum, vel Heinsium, Baudium, Barleum, vel Buchnerum, Tscherningium, Rappoltum, Fellerum, Sam. Ben. Carpovium, & Joh. Peiskerum,* æstimaverimus.

55

II. Poetica utique præstantior Oratoriâ, imprimis ratione causæ efficientis & finis. Efficientis quidem : Nam sine divino afflatu Poetica non exercetur : *Cicero l. 1. de divinac. Polyd. Virgilius lib. de rer. invent. c. 8.* qua & de causa Musas suas invocare Poetas ait *Scaliger l. 1. Poet. c. 2. p. 11.* ut furore imbuti peragant, quod opus est. Unde & ibidem Poetas θεοπνεύστους vocat. Plato etiam in Menone Poetas nominat θεῶν, h. e. divinos, & lib. 2. Polit. *θεῶν*

θεῶν

ἱεῖον ἁποδιδύς, *Deorum filios*. Græcis vocantur ἱεργοῖδοι i. e. *sacri cantores*. Sunt enim Musis sacri, earūq; Sacris initiati res sacras & divinas, & humanō sensu majores plerumque nunciare solent, teste *Lamb. in Not. ad Hor. lib. 4. Od. 9. v. 28.* Et ob id *Musarum* etiam *Sacerdotes* vocantur, quod exinde patet, quia *Horatius lib. 3. Od. 1. v. 3.* seipsum *Musarum Sacerdotem* dixit. *Conf. Ludov. de la Cerd. Tom. 1. Comm. ad Virgil. Eccl. 5. v. 45 p. 94. Et. 2. Georg. v. 476. p. 338.* *Ennius* verò ap. *Polyd. Virgil. l. 1. c. 8.* *Poetas sanctos* vocat, quòd q̄s. *Deorū* aliquo dono ac munere commendati nobis esse videntur. *Finis* porrò: hic est imitando delectare & docere. Ubi & ipse modus tractandi inclusus est, qui longè amplissimus. *Poesis* enim longè plurima complexa est, tantò quàm artes aliæ excellentius, quod cæteræ res ipsas, ut sunt, repræsentant veluti aurium pictura quadã. At *Poetica* & naturam alteram, & fortunas plures etiam, ac demum sese isthoc ipso perindè ac *DEū* alterum efficit. *Scal. d. l. p. 6.*

III. *Eloquentiam* *Poetarum* nemo æstimare potest, nisi qui eorundem sapientiam intelligit. Ad eam autem intelligendam, exquisita doctrina opus est, minimeq; proletariã. Errant tamen ex æquo & qui puerorum ac adolescentum studiis rudimentisq; *Poesin* definiunt, & qui eam à pueris adolescentibusq; planè remonent.

IV. Ut à *Phœmone* primum *Hexametrum* versum, ab *Alcæo* *Alcaicum Carmen*, à *Glycone* *Glyconicum*, ab *Hipponace* *Hipponacticum*, ab aliis alia genera accepimus; sic *Dactylici Carminis* in *Germanorum Poesi* felix inventor est *Aug. Buchnerus*, & *Madrigalium* *Illustris noster Zieglerus*, *J. Crus* & *Antecessor Primarius*, *Elect Sax. Consiliarius eminentissimus*: quem à primis incubulis veneramur, veneraturi quoad vixerimus.

V. Multum alienus est à pristina facie modernus *Germanæ Poeseos* nitor, cujus reformationis autor *Opitius* erat, nec infelices successores *Flemingius*, *Schottelius*, *Ristius*, *Dachius*, pluresve alii.

F I N I S.

Handwritten note: *Handl. No. 32*